

exercent, occidere vel occidi fortunam credunt et iudicium Dei non metuunt. De novo christiani adhuc paganizant, vicinis gentibus pacem non tenentes. Horum insolentias in suis dampnis cum Dani ferre non possent, arma conclamant, et ad urbem predonum adunati, nemine excusato, miles et rusticus, rex et sacerdos, simul in unum dives et pauper pugnaturi conveniunt. Et archiepiscopus affuit, ultor iniquitatis, terre defensor, vindex iusticie, visor denique miraculi, quod retulit ipse. 'Duo', inquit, 'corpora pendebant patibulo, non collotenus ut solent fures suspendi, sed ut canes aut lupi calcaneis appensi, visu tam horridi, ut non possent cause illorum pre horrore non (sic) discuti vel inquiri. Responsum est ab indigenis, juste illos sic passos; fures fuisse pessimos, diu et cum dampno civium latuisse; nec jam ab homine, sed a Deo vel Dei spiritu proditos fuisse. 'Leprosus', aiunt, 'secus hanc ecclesiam tugurium habuit, tam frequens in precibus, tam in vigiliis creber, ut continuus labor currentis ad ecclesiam cives moveret et extorqueret, ut facerent ei cellulam¹⁾. Tunc ex devoto devotior noctes duxit in oratione pervigiles, jejuniis et corporis castigatione se affligens et tamquam morti destinatus horam exitus sui omni qua poterat cautela premuniens. Noctum dum jacet et studio et morbo insomnis, ecce hii duo fortes oratores irrumpunt ecclesiam, rapiunt substantiam et universa tollentes deferunt ad domum suam. Tempus adest matutinum; eunt ad ecclesiam, quibus id solitum, illo vocante per signum, cui pulsandi officium. Dampnum presensit et insolentius campanis cives collegit, clamans ecclesiam esse irruptam, spoliatam et nudatam. Convenerunt omnes et cum omnibus illi; querit(ur) quisque dampnum suum et pre omnibus isti, dicentes, amisisse se plurimum. Coeunt cuncti ad leprosum, querunt, an senserit irruptionem, exigunt responsionem et auctoris sceleris ostensionem. 'Frustra', inquit, 'sevitis, me infirmum et cum morte luctantem cognoscitis, et fures dinoscere posse putatis?' Cives instabant dicere stature vel habitus eorum signa; nisi diceret, suspectum haberi, etsi non de facto, sed et de conscientia. Quid ageret? Prodit invitus, quod sciebat non expiandum nisi morte raptorum, sed ne conscius videretur aut socius: 'Huc', ait, 'omnes accedite, si forte de simili simile possim vobis ostendere'. Accedunt, et digito monstrans duos, 'Hii', ait 'aut horum similes predati sunt ecclesiam, siquidem mitrati et ejusdem . . . ac stature fuerant illi'. Tum latrones: 'Equidem verum est nos fecisse, sed te proditore, te adiutore, te consule'. Et cives turbati sunt, et moti sunt sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est. Nam obliiti equitatis noxios.

1) Vgl. Martene, de antiquis ecclesiae ritibus III, cap. X. de separatione leprosum, pag. 531.